

Hyrthymna Sa'lthjopija, Calamitas Æthiopiæ. Sive Commentarius In caput duodevigesimum Jesaiaë

Tubingæ: Literis Joh. Cunradi Reisi[i], [1714]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn891954139>

Druck Freier  Zugang






ca.

107.

Fa-1092 (107.)



ጠርቅዕን: ዘከትዮ ጽዮ: 47.

HYRTHYMNA
SA'ITHJOPIJA,
CALAMITAS ÆTHIOPIÆ.

Sive

COMMENTARIUS
In caput duodevigesimalum Jesaiaë,

QUEM ADSPIRANTE DIVINA GRATIA,
SUB PRÆSIDIO

MATTHÆI HILLERI,

SS. Theol. Græcæque & Lingg. Orient.
Prof. Publ.

Eruditorum examini

submittet

CHRISTIANUS CAROLUS MÜLLER,
Philosophiæ & Lingg. Oriental.
Studiofus.

Ad XVI. Mart. A. MDCC XIV.

TUBINGÆ,
Literis JOH. CUNRADI REISL

34
MATTHEI: HILFER: 2. B.

HYRTHYMA

SATTHJOPJA

CALAMITAS ETHIOPIAE

COMMENTARIUS

In capite Evangelicorum Iohannis

DEI APOSTOLICE UNIV. GRATIA

SUB PRESSIO

MATTHEI HILFER

22. Theol. Gesellsch. & Langg. Orient.

Teil 1. Bd.

Eruditionum exornatio

CHRISTIANUS CAROLUS MÜLLER

Theolog. Facult. Orient.

ALTMANN & CO. MDCCCXX

TÜBINGEN

Impr. Joh. Conrad Rühl



Aργε γνώσεις, ἀ ἀναγνώσεις; Nempe, qua legis, intel-
liges? hoc à Candacæ, Æthiopum reginæ, Eunuchò,
qui Hierusolymis redux, Jesaïæ de Christo patiente
vaticinium, in curru legerat, divino instinctu quæ-
rit Philippus, viam ut pararet ad erudiendum virum,
quem non piguit religionis amore ex Æthiopia ad Templum Hieruso-
lymitanū proficisci. Adparet eum, quamvis assiduâ Scripturarum lectio-
ne, non fuisse consequutum, ut, de quo loquebatur vates, intellexerit.
Nimirum, signa dumtaxat divinorum sensuum percipiebat, non ipsam
Dei mentem per signa perque literas significatam. Quemadmodum
tubæ sonum qui audit, signum dari militibus cognoscit, quibus autem
vel quem ad finem clangatur, rerum militarium expertus ignorat. Ma-
teriale igitur Scripturæ, ut Theologi loquuntur, oculis lustrabat &
vertabat intellectu, sed formale insitum huic materiali, antequam à
Philippo doceretur, non comprehendit. Adhuc nesciebat Jesum Na-
zarenum, cujus supplicio & morte tanquam agni innocentis, Deus de-
stinaverat omnes populos cunctasque gentes è servitute peccatorum
& a terrena morte redimere. Caterùm quod nescivit Æthiops, cui Jesaïæ
vaticinium accomodaret, id hodieque usu venire constat exercitatissi-
mis Scripturarū expositoribus, qui etiam fortissimo nisu res & personas,
de quibus abstrusiora loquuntur vaticinia, reperire & ostendere neque-
unt. Factum hoc est in loco Jesaïæ perdifficili & scrupuloso, quem
in manibus habemus; ubi, qui mittere legatos dicitur, & qui missos
audiant, tam diversi ab interpretibus traduntur, ut singulorum sen-
tentia plurimùm inter se dissideant atque discordent. Est igitur pro-
pter quod ardentius, verbi sui autorem Deum precemur, ut vaticiniū
hujus mentem scrutantibus Spiritum mittat, qui dubitanti olim Æ-
thiopi salutis nostræ Principem ostendit.

VERS. I.

הוֹי אֶרֶץ צֶלְצֵל כְּנָפִים

VE terræ! Idem in parallelo volunt verba: Sic ait DOMINUS JE-
HOVA DEUS; ejulate, dicentes: Ah de die ista! Ezech. 30. vs 2.
וְהָיוּ אֶרֶץ צֶלְצֵל כְּנָפִים Sed

A

CK

37
39
36
35
41
34
42
5
4
46
48
49
51

ex Deut. 28: 42. omninò liquet nomen צלצל̄ cuius constructum צלצל̄ notare id, quod frumentis ad perniciem valeat; in quo genere non est adumbratio, sed tristissima frugum pestis, locusta; quæ de voce col-lactanea צל̄ adpellata est, quoniam per aërem volitans sua multitudine Solem obumbrat, de quo Plinius & alii ap. Bochartum Hieroz. P. 2. p. 479. Qui in Deuteronomio rubiginem, qui siderationem, qui aru-ginem interpretantur, obliti sunt צלצל̄ sonare quiddam, à quo est ad-umbratio. Igitur & Jobi 40: 26. quæ dicuntur צלצל̄ רגים Mercero iudice, sunt vasa piscatoria ex adumbrantibus ramis virgisq; con-texta, sicut שכות eodem loco obvia instrumenta erant sagenæ aut e-verricula ex spinis facta, ad recipiendum pisces. Quod autem & cym-bala hoc nomine vocantur, id est à tinnitu cymbali, quem sonus vocis Tziltzel urcunque imitatur. Ab eodem sono venit צל tinnire & מצלות pro מצלצלות tintinnabula. *Locusta* sumitur hîc collectivè pro *locustis*, quibus tribuuntur alæ. Vocantur enim צלצל̄ כנפים locu-stæ alarum sive alatæ. Quam autem Jesaias locustarum terram indigi-tat, Æthiopia est infra Ægyptum, in qua scil. plures locustæ procre-antur, quam in ulla parte terrarum; in qua etiam ab esu locustarum dicti Acridophagi, de quibus ap. Bochartum Agatharchides lib. 5. c. 24. Diodorus lib. 3. Artemidorus apud Strabonem lib. 16. Plin. lib. 2. Vid. etiam Ludolf. Hist. Æth. Sed & ipsi Æthiopes hîc locustarum nomine venire possunt, & ab ipsis Æthiopia vocari *locustarum regio*, quia non tantùm locustarum agmina innumerâ multitudine, sed & volandi cele-ritatem excursibus in hostium regiones æquabant. Pennas habere videbantur, ut ap. Curtium lib. VII. Alexandri milites. Mul-titudinem colligas ex Zerachi Æthiopum regis exercitu, qui cum co-piis decies centies millium & curiibus ter centies contra Judæos pro-diit. 2. Chr. 14: 9.

Sunt, qui vocibus צלצל̄ ארץ descriptam volunt regio-nem, quæ sit umbrosa vel propter portuosum litus, vel propter mul-titudinem avium ibi volantium, quatum alis terra obumbretur. At hos historia destituit, quæ nec portuum nec volucrum multitudinem tradit, quæ Æthiopiæ peculiaris ab aliis eam regionibus distingueret. Præterea alam pro portu exaudire durissima est translatio. Ineptum etiam est, inquit Coccejus, hîc cogitare de montibus, arboribus, velis navium obumbrantibus. Multo ineptius Tziltzal vertere (*cum Bochart*)

cyr-

cymbalum, vel nassam alatum, cum Tigurino. Bene. Putat igitur ver-
tendum esse, Væ terræ, quæ adumbratur alis, id est, ipso Interprete
Væ terræ Judæ, quæ, Deo relicto, respicit ad Æthiopes & Ægyptios,
& ab illis protectionem & defensionem expectat. Comment. in Esai.
fol. 275. §. 5. Sed, quod Clarissimus interpres Tziltzal significare ait
adumbrationem, in eo divertit à notione vocis, quam alibi Scriptura
insinuavit. Idem facit Albertus Vogtius, cui Æthiopia dici videtur
terra umbræ alarum, sive orarum, quia incolis ejus, perinde ut univer-
sis, teste Strabone, qui habent inter Tropicum & Æquinoctialem cir-
culum, umbræ in utramq; partem cadunt, neque tam versus Septem-
trionem quàm Meridiem. Miscell. Hept. V. Verùm, si dederimus
ei, Tziltzal umbram notare, nec dum sonabit oratio, quod contendit.
Nam *umbra alarum*, juxta usum loquendi, vel umbram significat ejus,
qui protegit absconditque, ut Psal. 17: 80. Umbra alarum tuarum ab-
sconde me. Ps. 57. 1. Ad umbram alarum tuarum me recepturus sum,
donec transiverint ærumnæ: vel denotet *umbram alatum*, quemadmo-
dum כנף עף est volucris alæ, i. e. alata. Gen. 1. quæ versiones multum à
mente doctissimi viri dissentiant, nec, quod vult, indigetare possunt
: ארץ מאריכים בעת צהרים את-צלם ננבה וצפונה terram eo-
rum, qui meridianas umbras Austrum & Boream versus porrigunt.

אשר מעבר לנהרי כוש :

Quæ est secundum flumina Cuschi. מעבר significat cis & trans
præpositiones; hinc Num. 21:13. vertitur *cis* Arnonem Judic. XI. 18.
trans Arnonem, Num. 32: 19. *trans* & *ultra*. Et nos ea significata
conjungentes reddimus heic *cis* & *trans flumina*, vel, ut Junius, se-
cundum flumina Cuschi. Hæc autem Cuschi flumina ubi quærenda,
nisi in regione, quam Cuschijm sive posterius Cusch habitarunt. Si Scri-
pturam consulimus, eos testabitur habitasse I. ad sinum Persicum, jux-
ta Gichon, Paradisi fluvium. Gen. 2: 11. II. in Susiana ad Pischonem,
qui alluit regionem Chavilæ, qui fuit secundo-genitus Cuschi. ibid.
III. Ex ejusdem Chavilæ nepotibus quidam confederunt ad plagam
orientalem Gedoris, urbis Judaicæ, quibus contigui fuerunt Kinæi;
propter quam viciniam Tzippora, Moïsi uxor, כושית Cuschæa per con-
vitiium adpellata fuit. 1. Chron. 4: 39. Gen. 25: 10. Num. 12: 1. IV.
Cuschim vel Cuschæi fuerunt Æthiopes infra Ægyptum, quorum Re-

ges memorantur Zerach & Thirhaka, 2. Chr. 14: 9. & Jefa. 20: 3, 4, 5. de iisdem sermo Ezech. 29: 10. & Nachum 3: 9. De Cufais prope Sinum Persicum vel in Susiana degentibus, ac de Chavilais ad Austrum Judææ positus hunc Jefaïæ locum hæctenus, quod sciam, nullus Interpretum accepit. De Æthiopibus infra Ægyptum sitis intelligunt omnes, præter Bochartum, qui Cufæos, ubicunque in sacris literis memorantur, eosdem esse contendit cum Veterum Scenitis & Saracenis recentiorum; Æthiopibus autem Ludæorum nomen vindicare satagit. lib. 4. c. 2. Geogr. S. Sed meminisse debuerat vir doctissimus, Scenitas sive Saracenos Ismaelitarum sobolem esse, ut liquet ex Genes. 25: 18. ubi habitasse dicuntur ab Chavila Schurem usque, quod *oppidum* è regione Ægypti, & inde usque quâ venis in Assyriam. Igitur nobis quidem à vero maximè alienum esse videtur, Cufæos dicere Scenitas, gentem, quæ nulla cognatione Cuschum attingat. Eaque de caussa non impetramus à nobis, ut, quod multi autores ipsique adeo Abissini faciunt, Abissinos ex Arabia Felici accersamus, nisi admittatur genus eos ducere à Seba, Cusi filio, cujus posteros & Bochartus fatetur, confedisse in Arabia Felici, circa OM amnem, qui Lar est Ptolemæo. Ab illo inquam Saba, cujus feri nepotes ab Esaiâ c. 45, 14. vocantur **אנשי סבה** *Ansche midda*, Viri proceri; quorum Regum fit mentio Psal. 72: 10. *Reges Scheba & Seba munus afferent*, quod de Abissinis prænunciatum vero maximè consentaneum est. Flumina autem Cusi, quæ nos Astapum, Astaboram atque Nilum esse credimus, vir doctus Besorem & Rhinocuræ torrentem Trajanumq; & Coryn facit ab Herodoto dictum. Verum enimverò Besor qui à montanis Judææ derivatus in occiduum mare exoneratur, Judææ, non Arabum Scenitarû amnis fuit. Rhinocoruræ autem Palæstinæ torrens, terræ Sanctæ australis terminus 1. Chron. 13: 5. à quadam Nili similitudine, & Schichoris & fluminis Ægypti nomen tulit. Josu. 13: 3. Trajanus in Ptolemæo Ægypti fluvii annumeratur. Corys, magnum, si credimus Herodoto, Arabiæ flumen est, cujus aquam Rex Arabiæ ex bovinis aliisque crudis coriis confutis, duodecim dierum viâ, per loca arida ad Cambysis exercitum deduxit, inter ea, ni fallor, quæ fabulosissimè ab Herodoto narrata, non numerandum est.

Quæ firmandæ suæ sententiæ argumenta attulit Bochartus, est operæ pretium hic infirmare & convellere. Quod enim ratiocinatur, Saracenos

racenos esse Cufchim, quia Cufchan & Midian Hab. 3: 7. ponuntur
 ut vocabula *ισιδύναμα*, fugit eum ratio. Cufchan quippe intelligitur
 Cufchan-Rifchathajim, Syriæ rex interamnanæ, Judic. 3: 8. qui cum
 Midianitis conjungitur ob ærumnas, quas Israelitis gravissimas & Syri
 & Midianitæ dederunt. Nec 2. rectè colligit ex eo, quòd Cufitis di-
 citur Tzippora, Mosis uxor, quæ Midianitis fuerat, eam ad Scenitas
 Arabicam gentem pertinuisse; Madian quippe, ut ex Ptolemæo & Hie-
 ronymo constet, in Arabia fuisse, in maris Rubri litore. Longe enim
 est alia Madian, urbs Kenitarum, ab ea, quam in maris rubri litore
 Claudius Ptolemæus posuit. & Cufitis dicitur Tzippora, ob viciniam
 Chavilæorum, qui Cufigenæ fuerunt. 3. פִּטְדַּת כּוּשׁ Pittedath
 Cusch Job. 28: 19. non est, inquit, *Æthiopica Topazius, sed Arabica. Ne-
 que enim Æthiopica Topazii meminit quisquam veterum.* Hinc efficere
 conatur Cusch dici Arabiam. Et verò vicit hoc argumento vir doctissi-
 mus, si gemmæ nomen rectè ex Hebræo translatum est. Nos autem
 ostendimus Tractatu de Gemmis in Pectorali, Pittedath Cus Sma-
 ragdum esse, cujus matrem haberi Æthiopiam, compertum habent
 auctores. 4. Argumentum ex Ezech. 29: 10. petium, falsâ nititur in-
 terpretatione. Pro eo enim quòd vertunt: Desolabo terram Ægypti à
 turri Syenes usque ad terminum Chus, vertendum, nostro iudicio, erat:
 A Migdol usque ad Syenem, i. e. usque ad terminum (seu confinia)
 Cuschi. Vav in *וַעַי* est exegeticum, ut Jos. 19: 2. בְּאֵר-שֶׁבַע וְשֶׁבַע Beerscheba,
 id est, Scheba. Migdol autem civitas Ægyptia in Ægypti
 finibus, versus Aquilonem. Exod. 14: 2, 9. 5. Ea, quæ Ezech. 30: 8,
 9. leguntur, prodire nuncios navibus ad perterrendum Cus securam,
 de Arabia intelligi posse ait, non de Æthiopia, in quam ne per Nilum
 quidem adversum navigetur propter cataractas prope Syenem. sed
 omnino fallitur. Siquidem ex Ægypto in Æthiopiam non modo per
 Arabicum sinum, sed & per Nilum navigari potuit, & vicissim, adversâ
 aquâ, per Nilum ex Æthiopia in Ægyptum, ut colligitur ex his Plinii
 H. N. lib. 5. c. 9. Elephantis Insula infra novissimum cataracten tria
 M. pass. & supra Syenen XVI. M. habitatur, navigationis Ægyptiæ
 finis, ab Alexandria DXXXVI. M. pass. In tantum erravere supra scri-
 pti. Ibi Æthiopicæ conveniunt naves, namque eas plicatiles humeris
 transferunt, quoties ad cataractas ventum est. Fidem rei & Strabonis
 testimonium facit, qui lib. XVII. Nunc, inquit, omnes Indicæ & Ara-
 bicæ

37
 29
 36
 35
 34
 42
 4
 46
 48
 49
 51

bicæ merces & Æthiopicæ etiam, quæ Arabico sinu advehuntur, Co-
 ptum, *communem Ægyptiorum & Arabum urbem*, deferuntur. 6. Ideo
 negat Cusi reges, qui memorantur 2. Par. 8. Jerem. 37:9. Æthiopes
 fuisse, quod Zerach & Thirhaka ex Æthiopia Judæos ex improvise ad-
 oriri non potuissent, neque hinc in Judæam conferre se, nisi subacta
 prius Ægypto. Atqui, ut ego quidem existimo, & is inopinatus & im-
 provisus geati, nihil hostile metuenti, incidit, qui longissimo itinere
 defunctus eam invadit; neq; necesse erat Judæâ petentibus per Ægyptû
 tendere, commodius istuc per mare Erythræum classe venturis. Ægy-
 ptius verò communem hostem aggressurus vel metu vel ex fœdere pa-
 cto transitum dedisse censendus est. 7. Nec magis in eo virium,
 quod 2. Par. 21:16. legitur, excitasse Dominus contra Joramum ani-
 mum Philistæorum & Arabum. Putat eo loco Chusæos non posse esse
 Æthiopes, quia nulli Arabes Æthiopibus finitimi præter solos Trog-
 lodytas, quos à Judæis determinat Ægyptus interposita. Imò verò fue-
 runt Chusæi; sed Æthiopum nomine haur notati, qui Arabiam tange-
 bant; illi videlicet, qui Chavilam habitarunt, in tractu vallis, quæ est
 post aditum Gedoris, è posteris Chami, 1. Chron. 4. 40. Amalekitis,
 quæ Septentrionem spectaverant, proximi. Gen. 25:18. Amalekitas
 dico, quos perperam Geographi Sinui Arabico admoverunt; quum
 mediterraneo mari & Judæis, ut ostendimus alibi, fuerint propio-
 res. Nihil itaque vetat, nos terram, quæ, sita secundum Cusitidis
 flumina, locustarum dicitur, Æthiopiam putare, & Cusitidis flu-
 mina habere Astapum, sive Nilum, quæ medios Æthiopes secat,
 Astaborem, & Astufapem, fluenta Nili, in quæ supra Meroen,
 Æthiopiæ metropolin, scissus, insulam facit. Væ igitur præ-
 nunciat vates habitantibus Æthiopiam, quam describit à locusta-
 rum & hominum locustas numero æquantium multitudine, & à
 fluviis, juxta quos Æthiopes colunt. His prædicat dolorem, quem
 percepturi erant ex strage copiarum auxiliarium, quas contra Ba-
 bylonios Ægyptiis miserint. Præsignificat tristem belli hujus exitum
 Jesaias etiam cap. 20:4. ubi Assyriorum regem, ait, deportaturum
 Æthiopum puerorum & senum turbam; nec alium intelligit quam
 Nebucadnezarem, qui Assyriæ Rex vocatur, quod proximè Assyriæ
 regno erat potiturus. Assyriæ enim Rex Sennacheribus ante vastatam
 Ægyptum & Æthiopiam, quarum clades Ezech. 30:9. conjunguntur,
 filiorum scelere periit, nec post ipsum Esarhaddon filius bello has
 gentes

gentes adortus est. Ad Nabuchodonosorum pertinere ea, quæ hoc loco de Assyriorum Rege memorat, etiam Diodatus, & post ipsum Coccejus censuit. Comment. p. 299. §. 1. Eandem cladem à Nabuchodonosoro dandam prædixerunt Jeremias 45: 13. & explicatiùs atque fufius illo Ezechiel c. 29: 19. & 30: 9. ubi Nabuchodonosoro, qui Tyrum everfurus erat, velut operæ pretium Ægyptum, & multitudinem ejus, & spolia ejus, & de fœderatis Æthiopibus & Putæis, hoc est, Libyæ gentibus victoriâ Deus pollicetur. Tempus horrendæ fragis Æthiopum incidit cum tempore Hophrañi vel Apriæ à Babylonii concisi, contra quos auxilio ei fuerunt Æthiopes, Libyes & Cyrenæi, ut prædictum Jefa. 44: 30. & Ezech. 30: 5. Nec enim alio tempore, nec alio bello fusi ac deleti leguntur Cufæi. Eusebius Hophrañi casum & concisos à Babylonii Ægyptios refert ad tertium Olympiadis XLVII. quartum verò post capta Hierusolyma & excidium Templi. Excisum autem Templum, ut ap. Scaligerum habetur, anno Nabonassar 158. Num. Eusebiano MCCCCXXVII. undecimo anno Sedekia, decimâ mensis quinti, Kal. Augusti feriâ sextâ, anno Judaico 3171. decimo nono Nabuchodonosori, Jerem. 52: 12. hoc est, ineunte decimo octavo absolutis, Exodi 907. quinto Hophreâ. lib. III. Canon. Ifagog. Jam, si quarto post urbis & templi excidium anno deletus à Babylonio fuit Hophreâ & auxiliatorum exercitus & vastata Ægyptus, cladis hujus annus cadit in nonum Hophreâ regis, & in quartum à casu Tzedekia, Judæorum Regis. Confer Sethi Calvisii Chronol. & Usserii Annales. Hac est sententia primi commatis, quam brevissimis verbis extulit Ezechiel: Ingens erit in Æthiopia dolor. c. 30. v. 2.

VERS. II.

הַשְּׁלַח בְּיוֹם צִירִים

הַשְּׁלַח mittit, mittens scil. est. Sapius enim Substantivũ verbum *ἡμίση*. Per mare, Erythræum puta, sive sinum Arabicum. Mittit ergò cum navibus, צִירִים Tzirim, legatos. Imagines vertit Bochartus, i. e. ut ipse interpretatur, caput Osiridis, quod in mare injectum diabolica vi ex Ægypto Byblum deferrebat, septem diebus. Geogr. Sac. p. 240. Sed frustra! Nam Tzirim hîc sunt, qui proximè adpellantur *nuncii*, qui mittuntur ad gentem extractam, vel in longum extractam, quæ ipsius

37
29
36
35
34
42
5
4
46
48
49
51

ipſius Bocharti ſibi non conſtantis iudicio, non ſunt Bꝫ, ſed Ægyptii. Geogr. lib. 3. c. 12.

וּבְכֵלֵי-גֹמֶה עַל-פְּנֵי-מַיִם

Et in vaſis vel instrumentis papyraceis, per ſuperficiem aquarum. Papyrus נֹפֶת *gôme* vocatur, literis vocis פֶּתַח trajectis. Congenera habet nomina פֶּתַח vel פֶּתַח stagnum, & Arabica ^س ^ا ^ج ^م *agamo* & ^س ^ا ^ج ^م *ajam*

egamō, paludes vel arundineta. Dicta igitur Papyrus, quod in palustribus vel stagnantibus aquis nasceretur, unde illud Ijobi c. 8. v. 11, 12. Nunquid extollitur papyrus sine cæno, crescit ulva sine aquis? Ex papyro facta navigia, quibus utebantur Ægyptii, tum quod leviora essent, quæ ex aquis facile traherent, humerisque, si venissent ad catadupas & cataractas per aquam transferrent; tum quia tutiorem reddunt navigationem, adversis fluctibus scopulisque, quibus Nilus abundat, cederent, aliisque vaſis vectoriis velocius agerentur. Videtur sanè eadem de causa Moſis Prophetæ mater in papyraceo navigiolo Moſen expoſuiſſe, nimirum, ut tutius navigaret, & diutius vitâ frueretur. ut de se ipſe teſtatur Exod. 2: 3. Eadem ex arundine fiebant navigia. Herodotus, lib. III. *ἰχθύες στέονται ἀμούς, τὸς αἰρέσει ἐν πλοίων καλαμίνων ὀρυμέμβροσι. Καλάμυς ἢ ἐν γόνυ πλοῖον ἕκαστον ποίεταται.* Indi crudis piſcibus victitabant, quos aggressi ex arundineis navigiis exceptant. Singula autem navigia è ſingulis arundinum internodiis ſiunt. Plinius lib. 7. c. 2. Arundines India gignit tantæ proceritatis, ut ſingula internodia alveo navigabili ternos interdum homines ferant. Idem lib. XVI. c. 37. Harundini quidem Indicæ arborea amplitudo, quales vulgo in templis videmus. Navigiorum etiam vicem præſtant, ſi credimus, ſingula internodia. Arundo apud Jobum, quod à nemine hætenus obſervatum, dicitur עֵבֶה *Ebe*, ut apud Arabes collactaneâ voce ^أ ^ب ^أ ^ب *Abâ'ô*, & ^أ ^ب ^أ ^ب *abâ'arhō*. Præterveſti ſunt dies mei cum navigiis arundineis, tanta celeritate, quâ aquila volat ad cibum. Pulcherrimâ fugacis vitæ ſimilitudine. Job. 9: 11, 12. Cæterum initialia hujus commatis verbi: *Qui mittit per mare legatos, & instrumentis papyraceis per ſuperficiem aquarum*, ſunt hieroglyphica pictura & deſcriptio Regis Ægyptii. Et Regis quidem, quia inducitur, qui mittit legatos; Ægyptii, quia dicitur legatos mittere navigiis papyraceis. Papyrus

pyrus Ægypti significationem habens nascitur in palustribus Ægypti, aut quiescentibus Nili aquis, ubi evagata stagnant. Papyraceæ autem naves Ægyptiorum inventum & instrumenta. Plinius lib 7. c. 56. & 6: 22. Naves in Nilo ex Papyro, & Scirpo, & arundine. Idem testatur Solinus cap. XXXVI. Strabo lib. VII. & Theophrastus, ubi de Papyro. Porrò quoniam per Nilum aliò quàm ad Æthiopes navigari nequit, ad Æthiopas legationem suam misisse hunc Regem, consectaneum est. De cætero, quanquam hæc una sola mittentis descriptio fidem faciat, non alium, quàm Ægypti Regem significari: quia tamen falsæ adversantium opiniones, obiter legentibus probabiles videri possunt, argumentis eas refellamus. Junius mittentem hîc interpretatur Thirhakam, Æthiopiæ Regem, qui, absente Sanheribo, indixerit bellum Assyriæ per legatos, & acie instructa tentârit invadere, 2. Reg. 19: 9. Sed invasionem hanc Æthiopem cogitasse, fingitur, non probatur. Unum quippe fuit, quod animo intenderat, hostem à Judæis avertere; in quo, cum prævenisset eum Deus, redeuntem in Assyriam Sanheribum haut persequabatur, quanquam in proclivi hoc fuisset, maximâ parte copiarum, quæ Hierosolyma obfederant, profligarâ. Qui existimant, Æthiopes cis mare rubrum legatos misisse ad Æthiops transmarinos, confutantur ex descriptione gentis, ad quam legati mandata exposuerunt. Vocatur illa gens extracta, gens conculcata, cujus flumina diripiunt terram, quæ descriptio Arabiam Felicem habitantibus minimè congruit. Nec enim isti Arabes sunt advenæ, nec mancipia aliis populis suppeditarunt, nec eorum flumina diripiunt terram, licet cætera frontem scilicet coloremque Abyssinis haut dissimiles. Coccejus Ægypti & Æthiopiæ Reges ad Judæos legationem misisse ait, quia putaverint Judæos adjuvandos esse contra Assyrios, ne nimis potentes effecti ipsis quoque imminerent, & ut Judæos haberent in potestate, eorumque potentia ipsis esset velut antemurale. At Ægyptios hoc putasse, quod ait vir doctissimus, non affirmaverim. Quo enim tempore Assyrii ad oppugnandum Judæam venerant, Ægyptii sese non movebant, quod sanè, si ab Assyrio pro Judæis metuissent, facturos fuisse, non difficile ad fidem est affirmare. Hiskias in Deo suo fiduciam habens externa auxilia, frustra suspicante hoc Rabface, non requisivit. Jesa. 37. 15, 16. & seqq. cap. 38. 6, 7. 2. Reg. 18: 21, 22. Illud autem, quod ex

B

ingenio

ingenio suo, barbaris regibus tam subtilem, tam brevem, & compendiosam omnis divinæ gubernationis circa Israelitas digestionem Coccejus tribuit, à ratione & veritate aversum, supra quàm cuiquam credibile est. Conditio Israelitarum, inquit, in mandatis, quæ Æthiopes & Ægyptii legatis suis dederunt, triplex proponitur 1. ut consideratur, ut *Goi*, gens, non ut *Ham*, populus. In primo tempore vocatur Israël gens, eique attribuitur Tractio & Politura, hoc est, 1.eductio è medio populi, nempe Ægyptii. 2. Politura, h. e. illius institutio & castigatio, & adactio in verba Dei, ut ita niteret coram toto mundo, tanquam gens sapiens & prudens. Deut. 4: 6, 7. gens sancta, regale Sacerdotium. In secundo tempore vocatur populus, eique attribuitur terribilitas. Id referendum est ad bella Josuæ, liberationes Judicum, bella item Saulis, Davidis, &c. quamdiu in fœdere Dei steterunt. In tertio tempore rursus vocatur *gens*. Per quod significatur, ignorantia fœderis Dei & defectio ab eo. Huic tempori adjunguntur comites defectionis pœnæ, nimirum conculcatio & direptio; conculcatio ad lineam & lineam, hoc est, ad certum modum limitemq; Dei prolata. Ita enim tribus Ruben & Gad, & dimidia tribus Manassis, & terra Naphthali primò deportatæ sunt 2. Reg. 15: 29. 1. Chr. 5: 25, 26. deinde reliqua decem tribuum, captâ Samariâ. Tum verò Sanherib invaserat Judam. Cujus expeditio significatur per emblema fluvii, hoc est, Euphratis supergredientis ripas suas & omnem terram quaquaversum inundantis. Jesa. 8: 7. 8.

Quis autem credat hos Israeliticæ gentis casus, totq; temporum accurata discrimina in animo habuisse Æthiopiæ & Ægypti regem, qui ne suorum quidem temporum initia & intervalla noverant, ut ignorantia istius insigne specimen exhibuerunt Ægyptii, qui à Mene primo Regum usque ad Sethon, Vulcani Sacerdotem, qui ante Necon imperaverat, Sennacheribi & Hiskia regis Judæorum æqualem, hominum trecentas numerant progenies, quæ Herodoti calculo, decem millia annorum conficiunt. lib. 2. c. 142.

לְכוּ מַלְאכִים קְלוּם

Ite, inquit, *legati celeres*. Ante לְכוּ subaudiendum necessario est *dicendi* verbum. Vid. Dissert. nostram de Elliptico dicendi Script. S. genere. מַלְאכִים mal'achim, legati, missi, ab antiquato verbo לָלַךְ, quo etiam

etiamnum utuntur Æthiopes, qui efferunt אֲחִיּוֹת LAACA, legavit,
Matth. 27: 19. Marc. 3: 31.

אֶל נְוֵי מִמְּשָׁךְ וּמִוֶּרֶט

Qui legatos mitti existimant ad Assyrios, ii vertunt: Ad gentem distractam scil. à terra sua, dum in Judæa distinetur. 2. Reg. 19: qui ad Ægyptios, in longius protractam sive extensam, Angusta enim inquit, est Ægyptus & à mari Syenem usque tota patet in longitudinem; qui denique ad Æthiopes, *gentem dispersam*, vel quia vastum terræ spacium incolunt, nempe à sinu Persico ad mare Rubrum, indeque ad Mediterraneum; vel prophetice ad populum dissipandum. Qui ad Judæos, *gentem tractam*, ex Ægypto, scilicet, extractam. Sed nec de extensione vel longitudine loci, nec de distractione vel dispersione אֲחִיּוֹת hebraicum verbum usurpatur, neque, ut è sequentibus constabit, de Judæis aut Ægyptiis dici potest. Rectius Goj-memüßschach interpretabimur gentem pertractam sive excitam ex sedibus suis, quo sensu istud verbum legitur Judic. 4: 6. *1. & pertrahere* in montem Thabor Naphthalitas, quod per metalepsin dictum hoc sonat, Excitos sedibus suis pertrahere in montem Itabyrium, & ibidem versu septimo: *Pertraham* adversum te ad torrentem Kischonis Siferam, id est statione sua excitum perducam ad te Siferam. Poterant ergo Æthiopes extracta vel protracta gens vocari, vel quòd venales habuere copias, quæ ab exteris Regibus facile in auxilia evocarentur. In Ægyptiorum quippe exercitu stipendia fecisse eos liquet, ex Ezechielis c. 30: 4, 5. Judæos milite subitario levasse, testatur Jesaias, c. 37: 9. Philistæos autem liberationis spem in Æthiopum auxiliariis potuisse, colligitur ex Jesa. 20: 1. coll. 5. Perterrefacti Æthiopū clade Palæstini erubescunt ab Æthiopibus expectatione sua: vel, quod vero magis consentaneum, extracta gens dicuntur Æthiopes, quòd ex Arabia Felice, cujus partem aliquam juxta Joktanis filios, Seba, conditor gentis, occupaverat, exsuperante hominum multitudine, vel vicinorum injuriis pulsī, vel à transmarinis gentibus in auxilium evocati, in novas sedes, vi quadam divina, pertraherentur, quam translationem populorum rerum omnium moderatori DEO Scriptura tribuit Gen. 10. Dispersit eos Dominus in superficiem totius terræ, & Amosi 9: 7. Annon Israelitas deduxero è terra Ægypti, ut Pelisthæos è Caphthore, & Syros è Kiro?

B 2.

וּמִוֶּרֶט

וּמֹרֵט pro **מֹרֵט** & *glabram* vel *depilatam*, ob labialium con-
 cursum, מ principalis litera eliditur, ut pro מֹרֵט dictum מֹרֵט Mo-
 sche, & ut alibi ostendimus מֹרֵט pro מֹרֵט extractus. מֹרֵט est gla-
 brare vel depilare, unde & Arabum ^{مرط} *amratō*, pluralis ^{مرط} *martō*,
 corporis partes glaber, sine pilis, peculiariter genas. Glabros
 esse genas & reliquum corpus Æthiopes, sciunt, qui Æthiopem vide-
 runt. summus calor sideris imberbem atque depilem reddit gentem.
 Ille verò durissimus tropus est, quo pili barbæ vel capitis cum militi-
 bus comparatur, ut, qui dicitur calvus vel imberbis, intelligatur milite
 suo exhaustus, vel exercitu spoliatus. עַם נֹרָא Populum terribilem
 & vultus torvitate & inexputabili copiarum numero.

מִן הוּא וְהַלְאָה

Ab eo scil. loco, quo mittimini, & *ultra*; usque ad *πέρατα τῆς γῆς*, us-
 que ad penetralia Austri, ad promuntorium Africæ australissimum,
 frontem Africæ, quæ nostra ætate Bonæ spei caput adpellatur, quo
 loco sunt Æthiopum *πινύσται, τήλαθ' ἔχοντες*.

גַּו קָרָקוּ וּמְכוֹסָה

Variè vertunt. Alii gentem omnibus delineantem, i. e. aliis imperan-
 tem & leges præscribentem; alii lineis vastitatis definiendam, vel val-
 de lineatam, hoc est, frequentibus complanatam lineis & solo æqua-
 tam. Jonathan Chaldæus, Gentem oppressam vel opprimendam;
 Sanctius, frequentibus utentem lineis dimensoriis, in dimetiendis funi-
 culo agris. Castalio, gentem alios atque alios habentem limites. Si-
 quidem rectè nos Æthiopas hîc describi arbitramur, nulla recipi dicta-
 rum expositionum potest. Neque enim Æthiopes aliis gentibus leges
 præscripserunt, neque vel ab Assyriis, vel Ægyptiis, vel Babylonis vasti-
 tati aut solo æquati leguntur, neque ob id, quòd gens linearum vo-
 cata est, oppressa vel opprimenda censerî potest, nec terminos aut li-
 mites suos mutasse, nec denique agros post Nili inundationem funi-
 bus mensi narrantur. Quare simplicius & citra translationem violen-
 tam ipsum קָרָקוּ vertimus *lineam*, aut *strigam*, qualis corporum à nimia
 pinguedine cutem complicantium. Job. 15:27. vel eorum, quæ humoris
 defectu adsiccantur, qualia senû corpora, quos ob id passos vocat Luci-
 lius:

litus: Rugosi passique fenes eadem omnia quarunt. vel quæ continuo calore solis vaporata contrahuntur in rugas. Atque adeo verba goi kaw-kaw, reddimus, gentem lineis signatam, i. e. frigus rugisque deformem. **מְנוּסָה** est conculcatio, formæ nominalis **מְנוּסָה** fuga. *Gentem conculcationis* vocat gentem conculcatam, contemptam atque abjectam. Quæ enim conteruntur, ea despiciuntur atque averſantur. Ita calcandam se præbuisse, id est, contemptui & servitio vilissimo exposuisse dicitur Hierosolyma. Ezech. 16: 6. Sic Babyloniæ Regi Deus minatur: Abjicies, ut furculus abominandus, ut cadaver *mubas*, conculcatum, Jefa. 14: 20. Itaq; R. Nathan in Concordantiis **בֹּס** verbi *significationem* in hunc modum declarat **בֹּס מָה שְׁפֹרְשׁוּ רְמִיסָה אוּ הַתְּנַמָּל** **בֹּס אוּ בִּזְיוֹן** Radix **בֹּס** conculcationis, pollutionis aut contemptus notionem habet. Idem insinuat, quod dicitur Jefa. 5 1: 23. **שָׁחִי וְנִעַכְרָה** Ponam illud in manum affligentium te, qui dicebant animæ tuæ, *abjice te*, ut tranſeamus: quibus exponebas tanquam humum corpus tuum, & tanquam plateam tranſeuntibus. Nempe, non secus iis utebantur atque mulieribus, quæ dominabus suis vicem stapedis aut scalæ, quoties eorum conſcensuræ erant, præstabant, *αλιμακτιδεις* Græcis dictæ. Quo ministerii vel potius contumeliæ genere Valerianum Imperatorem à Sapore, Rege Perſarum, & Bajazethem, Imperatorem Turcarum, à Temirlanco, Tartarorum Rege, affectos esse legimus. Nec honoratioribus officiis admoti Æthiopes, servituti natus populus, cujus mancipia toto Oriente notissima. Itaque Arabibus nomen **عبد** *habdō* servus absolute positum Æthiopem sive Abyssinum denotat, & Abyssinorum Rex Perſarum idiomate vocatur **پرستار خان** *Prestar-chan*, quod sonat mancipiorum vel fervorum principem; pariterque ex eo argumento dicta Candace, Æthiopum Regina, Domina mancipiorum. Vid. Onomast. Sacr. p. 674. Quid quod Æthiopus Deus contemptæ gentis exemplum dedit, Amos 9: 7. Annon pares filiis Æthiopum estis mihi, ô filii Israelis? i. e. non majoris vos facio quàm vilissimam gentem Æthiopus. Conculcatam igitur nominat vates gentem contemptam & servituti mancipatam.

אֲשֶׁר-בָּאוּ נְהָרִים אֶרְצוֹ:

Cujus diripuerunt flumina terram. Scilicet torrentium Æthiopiæ continuis trium mensium pluviis auctorum tanta vis est, ut alvei, an-

B 3

requam

tequam Nilo amne miscentur, in arctissimas quasi valles premantur quos tantæ altitudinis inveniunt, ut fundum intuentibus tenebris & caligine horreant. Vid. Ludolfi Histor. Æthiop. Facile ex descriptione hac apparet, quæcunque de ea gente enunciantur, in contumeliam ejus ab Ægyptio Rege dici, indignante, quòd ad incitas redactus ab iis opem ac suppetias petere, & in regni viscera admittere cogeretur, quos longe infra dignitatem Ægyptiorum abjectos judicaret. Quòd enim gentem vocat extractam, peregrinitatem ejus malignè vellicans, veterrimam Ægyptiorum nobilitatem extollit, qui se quasi ἀντίχθονας prædicarunt. Glabram atque imberbem cavillatur, suis in hoc dissimilem. Ἀγυπτιῶν γὰρ ἂν τις ἐλαχίστην ἴδοιτο Φαλακρὸς πάντων ἀνθρώπων. Herod. lib. III. cap. 12. qui nec in funere quidem proximi capita deglabrant. lib. 2. c. 36. Populum vocando terribilem visu formidarumque Ægyptiis, periculum à potentia & viribus ejus fatetur. Quòd gentem rugis corpus exiratum atque conculcatam nominat, eam ob corporis deformitatem ab omnibus neglectam & servituti natam innuit, Ægyptiis isto formæ & servitutis opprobrio levatis. Terram denique ad reprehendum arripiens eam dicit, quam diripiant flumina, præferens Ægyptum *Ἐπιχτιτὸν τε γῆ καὶ δῶρον τῷ ποταμῷ*, accessoriam terram & fluminis donum. Herod. lib. 2. c. 5.

VERS. IV.

כִּי כֹה אָמַר יְהוָה אֵלַי

DEI propositum aperit Propheta susque deque casum & incolumitatem Æthiopum habituri.

אֲשֶׁקֶטָה וְאֲבִיטָה בְּמִכּוֹנִי

Vav primæ vocis vocali destitutum oriatur in lectione, simulque aliud insinuat verbum per Vav cholem scribendum, quo fit ut accentu retracto pro אֲשֶׁקֶטָה legatur & אֲשֶׁקֶטָה quiescam. Vid. Instit. Hebr. p. 40. n. 19. & 624. n. 76. בְּמִכּוֹנִי loco meo stabili. Is est cælum מִכּוֹן שְׁבֶת : יְהוָה locus stabilis habitationis Domini. 1. Reg. 8: 39. *Quietus spectabo.* Spectat etiam non quietus, quando, cognitis perditorum miseriis, afflictis opitulatur. Psalm. 112: 20, 21. Dominus è cælis in terram intuetur ad exaudiendum suspirium vinceti, ad solvendum eos, qui

qui traduntur morti. Quietus autem res hominum spectat, quando laborantibus non adest, luxque calamitati relictos tanquam nihil ad se pertinerent, negligit atque contemnit, quo sensu hic loquitur: Quietus spectabo in sede mea, *in caelo videlicet, longo quasi intervallo interjecto*, æstum arefacientem olus, & nubem roridam, reficientem in calore messis.

כַּחֲסֵם צֶחַ עַל־אוֹר
כְּעֵב טַל בְּחֵם קִצִּיר:

צח aridus vel arefaciens. Referunt quidam ad radicem צחה splendere, nitere; repugnante verborum significato. Collactanea nomina צחה à quo constructum צמא צחה aridus siti. Jesai. 5: 13. & צחצחות ariditates, Jesa. 58: 1. arguunt radicem צחה. Ipsum צחה nisi ח, excluso dages, ferret parvam, scriberetur ad instar nominis חמה superbus. Etiam אשה quod Kimchius ad geminata verba retulit, formam gerit nominis כסה, & per apocopen ה litera gignit אש ignis, ut à כסה natum כס i. e. folium, ex radice אשה, ut גא superbus, elatus, à ybo גאה extulit se. עֵלִי-אוֹר super olus, vel quia collectivum est, *super olera*. אור nomen, unde אורות olera 2. Reg. 4: 34. ex eorum est numero, quæ pro diversitate originis, licet iisdem literis gaudeant, res diversas significant. Si enim referas ad formam verbi Vav mediâ quiescentis, notabit *Lucem*: Si ad ארה *carpsit*, sonabit herbam aut olus, quod manibus homines, ore pecora carpant. Significationem vocum circumstantia verba determinabunt. *Æstus aridus super olera*. Torret olera gravior æstus & succum exhauriendo interimit: nube autem rorida modicisque pluviis refectæ segetes tumescunt & ad maturitatem proficiunt. Differt *ros à nube rorida*. Ros enim est, quem aeris serenitas tenuiter spargit; nubes rorans, quæ tenues pluvias rorique similes guttas uberius remittit, opportunum segetibus, circa æstum in tempora messis incidentem, refrigerium. Sensus igitur commatis: Susque deque feram aeris quamcunque temperiem, neque curabo æstum torrentem olera, neque pluvias æstum messis refrigerantes. Explicatius diceret: Nihil morabor, nec attendam ad auxilios Ægypti Æthiopes, sive belli æstu oppressos, sive ab eo æstu respirantes.

כִּי-לִפְנֵי קִצִּיר כְּתָם-פָּרַח

ובסר

32
39
36
35
34
40
4
46
48
49
51

וּבְקֶרֶת גִּמְלֵי יְהוָה נִצְחָה

Nam ante messem, & antequam perficiatur germen, & antequam flos omphacium fiat maturefcens, vel, omphax maturefcens ex flore existat. Sensus est: Antequam flos Æthiopicæ juventæ, quæ militiam Regis Ægyptii sequitur, virilem ætatem; aut viri vegetam senectutem conſequuti parentum & popularium exſpectationi ſatisfecerint.

וּכְרַת הַחֲלוּלִים בְּמִזְמוֹרוֹת

Vav in וּכְרַת veluti redundans, non expreſſum in Verſionibus latinis, feliciter exprimunt Germani vocabulis Da vel So. Ut 1. Samuel. 2: 15. Quum nondum adoleviſſent adipem וּבָנָא venit puer, da ſam der Knab. Eccleſ. 9: 16, 17. Quum adhiberem animum meum ad cognoſcendam ſapientiam, וּרְאִיתִי וִידִי, ſo hab Ich geſehen. כְּרַת impersonaliter poſitum verbum cum nomine ſuo conjugato exaudiendum eſt, *Excidit, vel excindet exciſor.* חֲלוּלִים ſurculi vel ſtolones, quos latinè palmas novellas aut palmites focaneos dicunt, quòd veluti faucibus vitis appoſiti ſuccum ejus hauriunt, nec diſſimili tropo Hebræis ab heluando ſeu prodigendo vocantur, quali dicas *epulones humoris*. Nec enim in ulla vitium parte ſuccus uberior.

וְאֶרֶץ-הַנְּטִישׁוֹת

נְטִישׁוֹת propagines propriè expansas vel diſſuſas denotat, quo diſtinguuntur à ſtolonibus, qui arrecti ſtantes nullos diſfundunt ramos. Ut autem palmites focanei aut novelli juventutem, ſic propagines aut mergi adultam ætatem ſignificant; & mens vatis eſt: Ea clade Æthiopiam juvenibus ſenibusque vegetioribus privatum iri. Id quod apertius dixit Jeſaias cap. 20: 4. Adducet Rex Aſſyriæ *futurus Nabuchodonoforus* deportandam turbam Æthiopum puerorum & ſenum.

הַיֵּר הַחַי:

Amovet, quos amputavit. Subauditur אֲשֶׁר relativum, quod ſæpius fieri, non indiget probatione. Quam ſtragem hîc vitium excidio Jeſaias comparat, eam ſilvæ extirpatæ contulit Jeremias. Ita enim de Ægypti & mercenariorum ejus exitio pronunciat: Cum ſecuris venient ad eam tanquam putatores arborum, cedent ſilvæ ejus, verriſſimum

rissimum dictum Domini, quamvis non possit pervestigari, quamvis plures sint arbores locustis, & nullus sit ejus numerus.

VERS. VI.

יֵצְבוּ יְהוָה לְעַט הָרִים וְנָו

Relinquentur pariter volucris montium. Relinquentur in Ægypto, occupativo agro, pariter juvenum senumque cæsorum corpora, nemine sepeliente; volucris montium, qualis in Ægypto ferarum & rapacium volucrum plenus ab aquilonis plaga mons Arabia; ab Austro, qui vocatur Libycus. Inter quos, quantum est intercapedinis terra stadiorum, ut Herodoto videtur, non amplius ducentorum. Lib. 2. c. 8. Ut astivent super unumquemque eorum, volucris & omnis bestia terrestris super unumquemque hiemem transigat, pastus causa. עָלָיו cum purali verbo constructum distributivè sumendum est.

VERS. VII.

נָעַת הָיָה Tempore illo. עַת in sacris paginis de tempore præstituto accipitur; & הָיָה demonstrativa orationis particula præteriti & futuri temporis spatium respicere potest. Vid. Jerem. 3: 17. c. 33: 15. Dan. 12. 1. Amos 5: 13. Igitur tempus, quod hîc prænunciat Jesaias, non de illa Æthiopum ætate, qua calamitatem ceperant, intelligendum, sed de illo, quod à DEO salutis & conversioni eorum præstitutum atque decretum fuit.

וּבִלְשׁוֹן לַיהוָה צְבָאוֹת

Adducetur munus Domino Jehovah DEO exercituum. Quoniam, quæ hîc prædicuntur eventum habitura erant N. Fœderis tempore, non cogitandum de munere vel sacrificio Levitico. Quæ adferenda, spiritualia sunt munera; sunt thura precum, sunt pretiosior auro fides, sunt sacrificia laudis & gratiarum. Sunt denique charitatis paupertatem fovendis officia, quibus propitiatur DEUS. Hebr. 13: 16. *Adducuntur Domino Jehovah DEO exercituum, sive Rerum omnium conditori, æternùm viventi, Deo multitudinis cœlestium terrestriumque copiarum, de gente in solo natali suo peregrina gente depilata, ex eo loco & ultra terribili, & contempta, cujus diripiunt flumina terram.*

C

ל

אל מקום ש- יהוה צבאות הר- ציון.

Ad locum nominis Domini, Dei exercituum: ad locum, quo laudibus ferunt roboris divini virtutem & supereminentes gratiæ ejus salutiferæ opes: ad montem Tzizonis; non jam ad templum Hierusolymitanum, quod in Sionis monte constructum non est, sed ad locum ubi David vatibus promissus, Rex gloriæ, Rex Sionis habitat, ad Ecclesiam, quæ in Æthiopia Deo colligetur. Ubicunque enim sunt, qui Christum colunt, ibi mons Sion, ibi regni sedem elegit Christus.

VERSIO NOVA

DUODEVIGESIMI CAPITIS JESAIÆ.

Continet hoc caput I. Orationis prophetica Propositionem de clade Æthiopum. vs. 1. II. Cladis occasionem, sive Regis Ægyptii Æthiopum auxilia per legatos petentis sollicitudinem. vs. 2. III. Cladis illius per terrarum orbem vulganda famam. vs. 3. IV. Cladis repentina magnitudinem, qua orta, cum à Dei auxilium negantis desertione, vs. 4. tum ab hostium immanitate. vs. 5. 6. V. Æthiopica gentis ad Christianana Ecclesiam convertende solatium. vs. 7.

1. Væ terræ locustarum alatarum: quæ est secundum flumina Æthiopiæ.
2. Qui mittit per mare legatos, & instrumentis papyraceis per superficiem aquarum; Ite *inquit*, leves nuncii ad gentem extractam & depilatam; ad populum terribilem, ab eo loco & ultra: ad gentem rugis undique insignitam & conculcatam; cujus diripiunt flumina terram.
3. Omnis orbis incolæ & habitatores terræ: Sicut quum attollitur in montibus signum, videbitis; & sicut quum tuba clangitur, audietis.
4. Sic enim mihi dixit DOMINUS; Quietus spectabo in sede mea: ut æstum aridum super olera, ita nubem roridam in æstu messis.
5. Nam ante messem, imò antequam perficiatur germen & omphax maturescat: excidet *excisor* palmites focaneos falcibus, & propages amovebit, *quas* amputavit.
6. Relinquentur pariter volucris montium & bestiis terræ: ut æstivent super unumquemque volucres, & omnes bestię terrestres super unumquemque hiement.

7, Tem-

7. Tempore illo adducetur munus DOMINO, DOMINO DEO exercituum; de populo extracto & depilato; de populo terribili ab eo loco & ultra; de gente rugis undique insignita & conculcata, cujus diripiunt flumina terram; ad locum nominis DOMINI, DEI exercituum, montem Sionis.

PARAPHRASIS.

1. Magnum & acerbum dolorem nuncio terræ, ex qua innumerabilis & locustarum volatilium & hominum multitudo erumpens intratas operit regiones; terræ, inquam, quæ est secundum flumina Æthiopiæ, Astaboram, Astapodem Astasobanque, & in interiori Æthiopia oriundum Nilum, qui juxta Meroem denuo in partes divisus duos quasi amnes maximos ex se gignit.
2. Is, cujus est grandioribus per mare Erythræum navibus mittere legatos, & papyracis celerrimis navigiis per amnium superficiem, indignatus cogi ad petendum ab invisa gente auxilia, Ite, inquit, leves nuncii ad gentem extractam ex solo patrio, ad gentem glabram atque imberbem, ad populum vultus torvitate & inexpugnabili numero terribilem, ab eo loco, quò mittimini & ultra, usque ad Africæ australis promuntorium, ad gentem rugis frontis atque ventris deformem, gentem, quæ servituti adjudicata, omnibus se conculcandum præbuit, cujus terram continuis pluviis aucta flumina in profundum undique excisam diripiunt.
3. Omnes incolæ orbis, inquit Propheta, & habitatores terræ, qui Ægyptiis vel auxilia mittitis, Jones, Cares & Lydi, vel, qui cum Ægyptiis mercamini, Græci, Phœnices Arabesque & Syri, vel qui in Ægyptum Chaldæorum metu commigrastis Judæi, aut, qui ex propinquo Æthiopum habitatis Libyes & Cyrenæi, vel qui ortivum maris Erythræi latus tenetis Troglodytæ, vos denique in copiis hostilibus cognatos, cives aut populares habituri Mesopotamitæ, Medi, Assyrii, Chaldæi, Scythæ, vos, inquam, calamitatem atque cædem Æthiopum sicut signum in montibus erectum longe lateque videbitis, & famam concisorum clarissimè, sicut quum tubâ clangitur, exaudietis.
4. Sic enim futura mihi revelans dixit DOMINUS: Corruentes Æthiopas non sustinebo, pereuntibus non adero; quiescam & specta-


37.
39.
36.
35.
34.
40.
41.
42.
43.
44.
45.
46.
47.
48.
49.
50.


bo quasi longo inter me & ipsos interjecto intervallo, in parata mihi sede, altissimo sanctitatis meae loco. Ut enim alieni agri calamitatem longius distiti non curant, pariterque habent aestum, qui ipsius olera torrefacit, & pluvias qui aestum segeti inimicum refrigerat: ita longissimè ab Æthiopum periculis disjunctus, quietus & immotus in altissima sede majestatis meae spectabo, belli aestu oppressos vel ab aestu respirantes, susque deq; habiturus.

5. Ea propter repentina erit clades. Nam ante messem antequam eorum viri ad maturam vegetamque senectutem pervenerint; imò antequam (germini aut flori uvarum similis) eorum juvenus primo ætatis flore pubescens, ab illo ætatis flore ad virilem transferret, subito excindet Babylonius à vite, imagine gentis Æthiopicæ, juvenes pubescentes, quorum emblemata sunt focanei palmites, succipleni, & erecti, sed teneri & injuriis opportuni, & adultæ corroboratæque ætatis viros, quorum similitudinem late diffusæ propagines gerunt.

6. Relinquentur in Ægypto Juvenes pariter ac provectioris ætatis viri, sepulturæ & exsequiarum honoribus privati, in prædam aquilis, corvis & vulturibus, in vicinis montibus morari solitis; lupis item & leonibus urisq; & vulpibus, ut æstivantes super unius cujusque cadaver carnivoræ volucres saturentur, & omnis generis feræ super singulorum cadavera hibernantes pascantur.

7. Illo tamen, quod à Deo præstitutum est, tempore, munera DOMINO JEHOVÆ exercituum Deo adducentur, non pecorum cruenta, non liba similæ, qualia cessabunt, sed viva & spiritualia. Cusitæ ex se nata pignora Deo consecrabunt, & dona ferent hostias viventes, corpora sua: offerent suffitus precum, sacrificia laudis & gratiarum, beneficentiam ac libertatem, quibus sacrificiis Deus placatur. Hæc, inquam, munera adducentur de populo ex antiquiore, quam nunc tenent patria, olim excito & depilato, de populo terribili ab eo loco & ultra, de genterugis undique deformi & conculcata, cujus flumina continuis imbribus aucta diripiunt terram, ad locum ubi Dei ter Opt. Max. datur cognitio, ubi magnaia ejus & supereminentes gratiæ salutiferæ opes celebrantur, ad Sionem montem, quem ille à vatibus promissus David, Christus Jesus, in secula benedictus in sedem elegit, h. e. ad eam, quæ in terris colligitur, Ecclesiam.







(II)

§. X.

orum maneat sententia, qui per Tem-
 hic parva templa ad formam templi E-
 parvo Dianæ simulacro. a Demetrio & o-
 ex argento efficta & elaborata fuisse sta-
 em in textu nostro præcise est additum,
 e notante *Prisco*, *Δικειτιμῶς* sumendum
 em ejusmodi nugamenta ex auro quo-
 imo ligno fieri consueverant, uti ex su-
 aliunde satis constat.

§. XI.

in loco quædam de templo Ephesiæ Dia-
 celebratissimo, ejusque structura artificio-
 eposita vi magna, donariisque eximiis di-
 a pluribus jam eruditis esset præstitum,
 n habes apud Clarissimum Virum *Jo. Al-*
in Bibliographia antiquaria Cap. IX. §. 19.
 am hic annotasse forte non ingratum erit,
 pecunia, quam ex præda comparave-
 d Megabyzum deposuerat, extraxisse Sci-
 vum in honorem Dianæ, ad similitudi-
 ejus templi Ephesini. Quæ de re ipsus
 V. de Expeditione Cyri p. 274. sic scri-
 re lubet: *Ἐπει δὲ ἔφυγε Ξενοφῶν, κατοικῆν*
ἐκ τῶν Λακεδαιμονίων οἰκιστὴν ἐπέβη πλὴν
Μεγάβου ἐς Ὀλυμπίαν θεωρήσων, καὶ ἀπο-
καθήλυτο αὐτῷ. Ξενοφῶν δὲ λαβὼν, χροῖον ἀνεί-
ειλεν ὁ θεός. ἔτυχε δὲ διαρρῆαν εἶναι τῷ χροῖον
καὶ ἐν Ἐφέσῳ δὲ πῶτα τὸν τῆς Ἐφεσίας Ἀρτέμι-
οῦ ἱεῖος παραρρῆει, καὶ ἰχθύες δὲ ἐν ἀμφοτέροις
δὲ τῷ Σκιλλένῳ χροῖον καὶ θῆρα πάντων ὁπόσα
αἰ. ἐποίησε δὲ καὶ ναὸν καὶ βωμὸν δὴ τῷ ἱερῷ
ὄν αἰεὶ δεκατέων τὰ ἐκ τῷ ἀγρῷ ὠρεῖται, θυσίας
 quæ Joh. Lewenklaus ita latine vertit:
 esset in exilio Xenophon, ac jam Scilunte ha-
 tum a Lacedæmonis propter Olympiam con-
 diturus

